

TITE-LIVE

Texte de la séance 1

Les intentions et la méthode de Tite-Live

Quae ante conditam **condendamve** urbem poeticis magis **decora** fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, **ea** nec adfirmare nec **refellere** in **animo** est. Datur haec **venia** antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat. (...)

Sed haec et his similia, **utcumque animadversa** aut existimata erunt, haud in magno **equidem** ponam **discrimine** : **ad illa mihi** pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; **labente** deinde paulatim disciplina velut **desidentes** primo mores **sequatur** animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec **remedia** pati possumus, perventum est. **Hoc illud** est praecipue in **cognitione** rerum **salubre** ac frugiferum, omnis te exempli **documenta** in **inlustri** posita monumento intueri: inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere **capias**, inde **foedum** inceptu, foedum exitu, quod vites.

Ceterum aut me amor **negotii** suscepti **fallit**, aut nulla umquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis **ditior** fuit, nec in quam **civitatem** tam **serae** avaritia **luxuriaque** immigrauerint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit: **adeo quanto** rerum minus, tanto minus cupiditatis erat ; nuper divitiae avaritiam et abundantes voluptates **desiderium** per **luxum** atque libidinem pereundi perdendique omnia **invexere**.

Fondation légendaire de Rome

Romulus et Rémus ont fait disparaître l'usurpateur Amulius et viennent de rendre le trône d'Albe à leur grand-père Numitor.

Ita Numitori Albana re permissa, Romulum Remumque cupido cepit in iis locis ubi expositi ubique educati erant urbis condendae. Et **supererat** multitudo Albanorum Latinorumque; ad id pastores quoque accesserant, **qui** omnes facile spem facerent parvam Albam, parvum Lavinium prae ea urbe quae conderetur fore. Intervenit deinde his cogitationibus **avitum** malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio : **quoniam**, cum gemini essent, nec aetatis verecundia discrimen facere posset, ut di quorum tutelae ea loca essent auguriis legerent qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatium Romulus, Remus Aventinum ad **inaugurandum templa** capiunt.

Priori Remo augurium venisse fertur, sex **voltures** ; jamque nuntiato augurio cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo **consalutaverat** : tempore illi **praecepto**, at hi numero avium regnum trahebant. Inde cum **altercatione** congressi certamine irarum ad caedem vertuntur; ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatiores fama est ludibrio fratris Remum novos **transiluisse** muros; inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adjecisset « Sic **deinde**, quicumque alius transiliet moenia mea », interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris nomine appellata.

Palatium primum, in quo ipse erat educatus, muniit. Sacra dis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Evandro instituta erant, facit. Herculem in ea loca Geryone interempto **boves** mira specie **abegisse** memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua prae se armentum agens **nando** trajecerat, loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boves, et ipsum fessum via procubuisse. Ibi cum eum cibo vinoque **gravatum sopor** oppressisset, pastor **accola** ejus loci, nomine **Cacus**, ferox viribus, captus pulchritudine boum cum avertere eam praedam vellet, quia, si agendo armentum in **speluncam** compulisset, ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant, **aversos** boves eximium **quemque** pulchritudine **caudis** in speluncam traxit. Hercules, ad primam auroram somno excitus, cum gregem **perlustrasset** oculis et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam

speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidit nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus **animi**, ex loco infesto agere porro armentum **occepit**. Inde cum actae **boves** quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. Quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus **clava** fidem pastorum nequiquam invocans morte **occubuit**. Evander tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis quam imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo **litterarum**, rei novae inter rudes artium homines, venerabilior divinitate credita **Carmentae** matris, quam **fatioquam** ante Sibyllae in Italiam adventum miratae eae gentes **fuerant**. Is tum Evander, concursu pastorum trepidantium circa advenam **manifestae** reum caedis **excitus**, postquam facinus facinorisque causam audivit, habitum formamque viri **aliquantum** ampliolem augustioremque humana intuens, rogitat qui vir esset. Ubi nomen patremque ac patriam accepit, « **Jove** nate, Hercules, salve, inquit; te mihi mater, veridica interpres deum, aucturum caelestium numerum cecinit, tibi que aram hic **dicatum** iri quam opulentissima olim in terris gens Maximam vocet tuoque ritu colat ». Dextra Hercules data accipere se omen **impleturumque** fata ara condita ac dicata ait. Ibi tum primum bove eximia capta de grege sacrum Herculi, adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis ac Pinariis, quae tum familiae maxime **inclitae** ea loca incolebant, factum. (...)

Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia **appetendo** loca, cum in spem magis futurae multitudinis quam ad id quod tum hominum erat munirent. Deinde, ne vana urbis magnitudo esset, **adliciendae** multitudinis causa vetere consilio **condentium** urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem natam e **terra** sibi prolem **ementiebantur**, locum qui nunc **saepus escendentibus** inter duos lucos est **Asylum** aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis, sine **discrimine** liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit; idque primum ad coeptam **magnitudinem roboris** fuit. Cum jam virium haud **paeniteret**, **consilium** deinde viribus parat. Centum creat senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant qui creari patres possent. Patres certe ab honore patriciique progenies eorum appellati.

Romulus et Rémus prennent les auspices

Curantes magna cum cura tum cupientes
regni dant operam simul auspicio augurioque.
...Remus auspicio se devovet atque secundam
solus avem servat ; at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino, servat genus altivolantum.
Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent :
omnibus cura viris, uter esset induperator .
Exspectant veluti, consul cum mittere signum
volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
quam mox emittat pictis e faucibus currus :
sic exspectabat populus atque ore timebat
rebus, utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albus recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit acta foras lux
et simul ex alto longe pulcherrima praepes
laeva volavit avis. Simul aureus exoritur sol.
Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
avium, praepetibus sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora
auspicio regni stabilita scamna solumque.

Ennius, Annales, v.76-95